

B. c. D.

REGIÆ ACADEMIÆ
GUSTAVO-CAROLINÆ

SIVE

DORPATO - PERNAVIENSIS
HISTORIÆ

PARTICULAM UNDECIMAM

CONSENT. AMPLISS. FACULT. PHILOS.

PRÆSIDE

GUSTAVO SOMMELIO,

PROF. REG. ET ACAD. CAROL. BIBLIOTHECARIO.

AD PUBLICUM EXAMEN

D. XXIX APRILIS A. MDCCXCV.

DEFERT

DAVID MAGNUS HUMMEL

GOTHOBURGENSIS.

LUNDÆ,
TYPIS BERLINGIANIS.

VIRO
Plurimum Reverendo & Præclarissimo,
DOMINO MAGISTRO

MAGNO WALLERIO,

Præposito territorii & Pastori in Örgryte

Avo Materno Indulgentissimo.

Hominibus ipsa natura injunxit, ut ille, qui beneficia acceperit, danti se gratum præbeat. Tuis, Ave Indulgentissime! beneficiis ab incunabulis meis cumulatus adhuc & quotidie cumulo, nec, sine illis, studiis obsequi Academicis mihi licuisset. Tot tantaque benevolentiae documenta alta mente manent, semperque manebunt reposita. Cum igitur in eo nunc sum, ut publicum eruditionis specimen exhibeam, lætissima simul mihi affulget occasio, gratum animum palam significandi, quam si omitterem, in notam certe ingratisissimi incurrerem. Tibi igitur, Ave Optime! hasce eo potius offero pagellas, quo certius sciam, Te ex litterarum studiis, quæ, teste Tullio, senectutem oblectant, insignem percipere voluptatem. De cetero Summum rerum Arbitrum indefessis semper venerabor precibus, velit Te, fulcimen meum, gentisque nostræ decus & ornamentum! diu superstitem omnique felicitate beatum servare & conservare, summisque tandem bonis in cælis decorare. Hæc vovet, & dum in vivis est, ardentè vovere non desinet

Avi Indulgentissimi

Nepos Obedientissimus
DAVID M. HUMMEL.

Konungens Trotjenare

Lands - Secreteraren

Högädle Herr

HANS HUMMEL,

Min Högårade K. Farbror!

Samt

Handelsmannen

Adle och Högaktade

Herr ARVID WALLERIUS,

Min Högårade K. Morbror!

Jämte det jag har den hedern, at pryda dessa blad med Edra vördade namn, gör jag mig det glada hopp, at Jansen dem, icke som et blott iakttagande af vanan, utan såsom et ringa bevis på den erkänsla, jag är Eder skyldig för många mig bevilsta faderliga vålgärningar, och på den oafäteliga vördnad, hvarmed jag har åran förblifva

EDER

ödmjukaste tjenare

DAVID M. HUMMEL,

I.

Verba: Ου παντες χωρσι τον λογον τειτον, Matth. XIX. 11. potius ad rem, tanquam talem, qualis præstari ab omnibus nequeat, quam ad facultatem intellectus, sunt referenda.

II. Ista AMELII expositio, qua τες κυνας Luc. XVI. 21. de servis ostiariis, quos, canes apud Græcos & Romanos appellatos, ope catenarum foribus alligatos fuisse constat, interpretatur, examen non sustinet, a propria & usitata vocis significatione, citra necessitatem, recedens. Lambendo autem utrum canes miseri hominis dolores elevaverint, an, quia ulcera purulenta nulloque modo curata erant, excerbaverint, dictu est difficile.

III. Admia Joh. VII. 18. mendacium significat.

IV. In consignandis Lexicis Etymologiæ potius, quam ordinis alphabetici singularum vocum haberi rationem debere, res ipsa loquitur.

V. Quo plura scimus, hoc pauciora novimus; & quo rudiores sumus, hoc præstantiores nos esse haud raro credimus.

VI. Dubitationem initium esse sapientiæ, haud male ARISTOTELES dixit.

vitæ habuit BEATAM OTTER, Officinarum Örebroënsium Curatoris (Factors) CASTANI OTTER filiam *). Blekingiæque Præfecti L. B. SALOMONIS von OTTER sororem, a. 1680 adhuc superstitem **). Liberi illorum, Nobilium ordini a. 1666 adscripti, nomine KLINGENSTIERNA ***) inclaruerunt, filiusque ZACHARIAS KLINGENSTIERNA, qui Præfectus vigiliarum in Saxonia occubuit, & ejus Conjux MARIA GYLLENADLER, Episcopo Lincopensi SAMUELE ENANDER nata, Viri, ob insignia erga scientias Mathematicas & Physicas merita celebratissimi, Professoris Upsal. Secretarii Status & Equitis de Stella Polari SAMUELIS KLINGENSTIERNA parentes fuerunt ****). Filia quoque Episcopo Klingio fuit HEDVIG ELEONORA KLINGENSTIERNA, ob egregiam literarum culturam eruditis scæminis annu-

u 3

me-

*) v. STIERNMAN I. c. & in Rättelser &c. p. XXI.

**) v. STIERNMAN I. c.

***) *Klingsjerna* illos I. c. v. STIERNMAN appellat, idemque nomen in Ind. Alphab. repetitum video: Virum autem hunc perspicacem cum fugere verum nomen non potuerit; alii, ut indicem consignaret, eum mandasse, atque hunc nomen, quale Typographo debetur, in Indice scripsisse, credi convenit.

****) MART. STRÖMERS *Äminnelse-Tal*, hållit för Kongel. Swenska Wetensk. Academ. öfver Stats-Secret. m. m. Samuel Klingensjerna & GEZELIUS in Lex. P. II. p. 38.

meranda *). Locum inter potiores Theologos Lutheranos Episcopo Klingio Doct. Calovius assignat **) sui que hujus severioris Doctoris Klingius discipulus fuit summo incensus studio, quod quantum extiterit, rerum, quæ adsunt, exempla docebunt: Philippi Melanchthonis Locos Communes Pastor ecclesiæ Breared in Hallandia GEORGIUS FRIS compendii fecerat. Atqui hoc ejus institutum tantum abfuit, ut placere Episcopo Klingio potuerit, qui Melanchthonis nomen hæreticorum in tabulis dudum inscripserat, ut eum mente non modo male sana, sed hæreticis etiam addicta, opus hocce aggressum esse judicaverit, adeoque moleste tulerit, ut, quamvis compendium hocce, secundum eam Locorum istorum Communium editionem consignatum esset, quæ nullam in reprehensionem Orthodoxorum incurrerat, contraque ab illis approbata erat, Frisium tamen gravioris erroris reum facere prius non desisteret, quam eo rem perduxisset, ut ab officio & munere removeretur. Nimia vero hæc severitas Sacerdotum, in Comitibus a. 1668 congregatorum, ordini displicuit, qui Frisium, quod vera Evangelica

*) Lingux Latinæ peritissima eos in literarum studiis progressus fecerat, ut Orationem, hoc idiomate a se elaboratam, in Gymnasio Lincopensi publice pronuntiaverit, vid. Strömer l. c. p. 4. & conf. *Sv. Magaz* 1 B. ubi inter eruditas Sveciæ fœminas, quæ ibi p. 207 — 222 & 246 — 254 commemorantur ac laudantur, locum honorificum p. 215 N. 13 obtinuit.

**) In *Lessu Haberkorniano* p. 1.

lica doctrina alienum nihil scripserat, infontem pronuntiavit, & ad aliud, quod vacaret, munus ecclesiasticum obtinendum commendavit, ut libellus docet, quem Cleri comitalis nomine Episcopus Lincopensis SAMUEL ENANDER, Ordinis hujus Præses Vicarius, subnotavit, ubi juxta annotatur, Episcopum, licet illis, quorum hæresis res clara atque testata erat, veniam retractandi atque in officiis permanendi Concilia ab ecclesia olim habita concederent, querelam tamen ad Regiam Majestatem detulisse, errores, quos in dicto Frisii compendio observasse sibi visus est, asperius perstrinxisse, propositumque nimis urfisse, ac tandem omnem, quam potuit, in removendo adhibuisse celeritatem *).

Scripta :

- 1) Oratio de Præstantissimarum & Nobilissimarum Matheseos partium Arithmeticæ & Geometriæ Origine & multiplici in vita communi Utilitate, hab. Upsaliæ a. 1635 Holmiæ vero edita in 4:o.
- 2) Disp. Philos. inaugur. Theorematis Psychologicis & Quæstionibus variis adornata, Præs. Joh. L. Staleno Ups. 1639. 4:o.

3) Disp.

*) Vide narrationem, quam a se consignatam in *Götheborgska Magazinet* a. 1766 N. 52 exhibuit Præpos. & Past. in Skee D:n Doct. JOHANN. GOTHENIUS, & inde *Kongel. Biblioth. Tidningar om Lärda Saker för år 1767. P. I. p. 189* inferuit Bibl. Reg. D:n C. CHR. GJÖRWELL.

- 3) Disp. Theol. adversus Neo-Photinianos de Divinitate Jesu, Præf. Abrah. Calovio. Regiomonti 1643. 4:o. In hujus inscriptione nomini suo hunc subjicit titulum: Illustrissimæ Dominæ ac Baronissæ, D:næ BRIGITTÆ DE LA GARDIE ante hac Ecclesiastes Aulicus, nunc vero Alumnus Academicus.
- 4) Thesaurus Biblicus eller Bibliß Skattkamar, ut hi hwitlen Summarier på alla Capitel, sampt utswalda Huswudspråk med tilhörige Concordantier korteligen författade äro, och til lärdom, tröst och förmaning förklaradhe. Sediti a. 1645. 8:o.
- 5) Progymnasmata Doctorea, quibus sententia Evangelica Joh. III. 16 adversus D. Johannis Bergii Glossam vindicatur, nec non Cap. IX ad Romanos explicatur. Wittebergæ a. 1646 exhibita, sed Lipsiæ in 4:o edita.
- 6) Epistola Cornelie ad Gracchos filios, & Oratio Scytharum ad Alexandrum, Generosissimis & summæ expectationis Adolescentibus D:no *Erico, Axelio & Gustavo* LILJE, separatim editæ & commendatæ. Lipsi. 1646. 12:o.
- 7) Disp. de Deitate. Regiomonti. 1644. 4:o *).
- 8) Disp. Theol. de Gratuita Homini Peccatoris coram DEO Justificatione, habita in Synodo Strengnesensi extraordinaria. Strengn. 1651. 4:o.
- 9) Epistola
*) Hanc videre mihi non contigit, sed ab aliis commemoratam annotavi; nec, quin prodierit, dubito, licet ab AURELIO BACKMEISTERO, GADEBUSCH & SCHEFFERO prætermittam observarim.

- 9) Epistola Consolatoria ad Reverendos, Celebres & Eximios Viros, D:n MAGNUM JOANNIS in Wintrosa & Tyssinge, D:n PETRUM ELIÆ in Dunker & Malma, Pastores fidelissimos, officii & honoris causa. Dorpati 1654 in fol.
- 10) Likpredikan öfwer JOACHIM DANCKWARDT Borgmästare i Nyköping, hållen uti Nyköpings store Kyrka, Heliga Trefaldigheets Söndagh år 1648. Nyköp. 4:o.
- 11) Uthserds Predikan öfwer Fru Grefwinnan ANNA Akes Dotter BÅÅT, Grefwinna til Södermöre m. m. R. R. och Riks-Cantzl. Grefve AXEL OXENSTIERNAS Husfru hållen på Fyholm 1649 d. 21 Okt. Stockh. 1650. 4:o.
- 12) Corona Sapientie, thet är Wijsheetennes Krona med en kort förklaring öfwer then sköna och tenckwerdiga Sententien Herrans fruktan är Wijsheetennes beynnelse Ps. III. 10. uti Likpr. öfwer R. R. och Presid. CHRISTER BONDE Frih. til Laihela m. m. hållen i Gustavi Kyrka i Göteborg, den andre Sönd. efter 13. dagen, som war d. 15 Jan. 1660. Stockh. 1663. 4:o.
- 13) Spirituale Rosetum, thet är en andelig Rosengård uthaf Jesaie 33 Cap. försärdigot, och uti R. R. m. m. Baron SCHERING ROSENHANES bearafning uti Hulsby K. fjerde S. efter 13 dagen, som war then sista Jan. år 1664 framstält. Stockh. 4:o.

14) Lucrum Justi maturate defuncti, thet år Thens
 Retsferdigas Wining, som bittida döbr, aff Wiß-
 hetennes Books sjerde Cap. Likpr. öfwer Fru
 MARGARETA HORN boren Friherre dotter
 til Marienborgh m. m. h. i Riddarholms R. den
 andra Sönd. i Saston, som war d. 6 Martii 1664.
 Stockh. 1665. 4:o.

*)

Ex Professoribus

ANDREAS VIRGINIUS **).

Cunas ei dedit Pomeraniæ Ducatus *** a. 1596.
 d. 9. Nov. patre Nobiliff. *Jacobo Vergien *****) in
 Schwes-

*) Festinationi quidem adscribenda est JOH. GEZELII
 p. 69 inter Pro-Cancellarios primæ ætatis injecta
 mentio: ejusmodi vero, quæ excusari facile possit, esse
 hanc festinationem, ostendam, dum ad illum, in Pro-
 Cancellariis secundæ ætatis commemorandum, venio.

***) Vita hujus Viri iisdem, quibus in illa exponenda
 JUSTUS HENR. OLDEKOP *Progr. Exequ. Revaliæ*
 a. 1665 d. 4 Febr. dato, utitur, verbis, hic enarra-
 tur; fideque ille hoc dignior est, quod ejusdem non
 solum ætatis, sed civitatis etiam fuit. Reculum hoc
 programma in HENN. WITTENII *Memor. Theologo-
 rum nostri sec. Clariss. Renov. Dec. XI. p. 1521. 1q.*
 legatur.

****) Colbergæ VANSELOV apud GADEBUSCH I c.
 P. 3. p. 262 in prædio autem Schwessien eum natum
 esse, ipse GADEBUSCH, BACKMEISTERUS I. c.
 aliique asserunt.

*****) Nobilis hujus gentis mentio in MICRÆLII *Altes
 Pommerland T. VI. p. 536* injicitur, ibique etiam *Var-*

Schwessien Hæreditario, matreque Nobiliff. *Anna
 Hammermeisters*: ut nec natalibus postremus esset,
 publico hominum bono virtute sua ex se nascen-
 dus. Prima literarum fundamenta scholis patriis
 debuit, in illis, & celebratæ id temporis Stargar-
 densium: ut Stetiniensium Pædagogo per Germa-
 niam ea ætate famigeratissimo præpararetur. Quo,
 velut ad emporium artium & literarum nobiliff. de
 voluntate suorum, profectus, illos progressus fecit,
 ut Philosophiæ ibi curriculum, bis præsidendo, ab-
 solverit, Theologice sub Celeberr. Theologo, *Dan.
 Cramero* & aliis disputaverit. Lapsa triennio, Ro-
 stochium adire sedit. In Professorum ubi amorem
 pariter & familiaritatem admissus, supremosque in
 Philosophia honores consecutus, Collegia Philoso-
 phica aperuit, diversos fidei articulos, Theologis &
 Doctoribus Excellentiff. *Tarnovio* & *Quistorpio*
 Præsidibus, ab Adversariorum *Φλυαγίας* vindicavit.
 Hinc & in alma Gryphica sub D. *Batto*, indeque
 in Regiomontana Academia Facult. Philosoph. Ad-
 junctus sub D. *Myslenta*, post iterum in alma Ro-
 farum,

v 2

gine ein Geschlechte der Freyen appellatur. Eodem
 hoc tempore, quo Dorpati floruit Doct. Andr. Virgi-
 nius, in Livoniam accessit ADRIANUS VERGINIUS
 Julino Pomeranus, qui a 1640 ecclesiæ Nuggensis
 Pastor juxtaque a. 1647. Theol. in Academia Dorpa-
 tensi Adjunctus fuit; atque hilce duobus ortum de-
 bere, qui in Svecia, Esthonia & Livonia vigent Vir-
 ginii v. STIERNMAN in *Matr. öf. Sv. R. R. och
 Ad. P. II. p. 1448. N. 1848.* docet.

farum, cum maximo plurimorum, Excellentium post Virorum, incremento collegiis institutis, pro Doctoratus gradu sub *Tarnovio* disputando insignem se Theologum, cum totius Academiae admiratione, probavit. Hinc a. 1626 d. 11 Sept. Gartzam Pomeraniae ad Pastorum & dioecesis circumjectae Praeposituram evocatus: hisque functionibus per 4 annos impigerrime defunctus, ad Theologos Wittebergenses & Lipsienses excurrit, jam Theologiae Licentiatus. E Saxonia superiore redux a Laudatiss. & aeternae memoriae Principe ac Domino D: no GUSTAVO ADOLPHO Svecor. Gothor. & Vandalor. Rege Gloriosissimo, Stetini negotiis bellicis implicito, sed inter armorum strepitus Religionis & Scholarum curam non abiciente, quippe in ceteris vere regis & egregiis operibus Academiam jam Dorpatensem constituente, commendatione Praestantissimorum Theologorum B. noster per Germaniam jam notus a. 1631 d. 21 Junii in Theol. Professore, in nova Livonorum Academia lectus & vocatus est. Quo facto, lauru prius Doctorali ornatus, post non multo sub solennem Academiae inaugurationem, primo Rectori Perillustri Regni Senatori ac Domino D: n *Jacobo Skytte* L. B. in Duderhoff &c. Pro-Rector adjunctus, quinquies vero Rector Magnificus ipse *), multoties Facult. Theol.

*) Annis saltem 1639, 1642 & 1647 Rectorem eum fuisse, BACKMEISTER l. c. p. 188 & GADEBUSCH l. c. p. 263. observant; & recte omnino ad priores annos quod attinet, sed pro a. 1647 substitui a. 1648

Theol. Decanus, ter Promotor, interim & Generalis per Livoniam integro sexennio Vice Superintendens, supremi Consistorii Regii, Dorpati quod erat, Assessoratu, ad usque hostilem Moschi in has terras irruptionem, perfunctus est. Moscovitam, relictis omnibus, a. 1646 (1656) fugiens Revaliam, & hinc pestem metuens, Holmiam transmisit *). Exul &, praeter exilium, suorum mortes violentas, alio-

V 3

debere, series Rectorum, suo loco tradenda, ostendet. Saepius an Rector fuerit dubito, licet quinquies illum fuisse Oldexop perhibeat.

*) Revaliae & Holmiae eum per duodecennium exulem fuisse, MOLLERUS quidem *Hypomn. ad Schefferi Svec. Lit. p. m. 452* dicit, & recte quidem dixisset, si ad annum 1646, quem ille habet, referenda esset, quae exulem eum fecit, Moschorum irruptio: sed anno demum 1656 factam esse istam irruptionem, constat; demendum igitur decennium est, & biennium duntaxat exul fuit.

Narrationem, quam, ex SAM. GAGNERI *Åreminne öfver Georg Stiernhjelm* p. 37. petitam, GEZELIUS in *Lex. P. III.* nom. Stiernhjelm p. 156 suam facit, omni silentio transire non debeo: Stiernhjelmii Spiritum familiarem, praestigias artemque Magicam quotidiano sermone homines ista aetate terebant. Satis non fuit, a rusticola quodam, cujus barbam vitri convexi ope adusserat, illum veneficii acculatum esse, verum nomine veneficii ipsis etiam Academiae Dorpatensis Doctoribus suspectus esse coeperat; imprimis vero Juris Professor Doct. Virginus magicæ artis peritissimum illum judicavit. Non desuit tamen huic Viro


aliorumque malorum *συνδρομῶν* perpestus est; donec a. 1658, commendatione Reverendissimorum D:n Episcoporum regni, a Gloriosiss. memor. Rege ac Inviictiss. Principe CAROLO GUSTAVO &c. in Episcopum Esthoniae Gothoburgi confirmatus, & Reverendiss. Patre ac Dom. D:n Johanne Canuti *Lenæo* Archi-Episcopo regni, Upsaliae solemniter ordinatus Episcopen suam ad vitæ terminum (erat is 20 Dec. lapsi anni 1664) fidelissime & laudatissime sustinuit. Bis maritus ab a. 1628 cum cive Rostochiensis per biennium & septimanas quinque,

ex

animus spiritum istum familiarem suis oculis inspicienti. Adit igitur ad Stiernhielmium, qui lætus hilarisque lepide illum apud se accepit, ac petentem cum simulata attentione & patientia audivisset, annuit tandem, sublatis, quas initio prætexerat, difficultatibus. Virginius exitum, mixto desiderio metu, expectans in locum separatum, ubi quietis & tranquillitatis plena erant omnia, ducebatur. Huc cum venissent, & varios gestus ridiculos, arti tamen magicæ, quam profiteri Stiernhielmus credebatur, accommodatos, ille egisset, insolentia & perplexa verba addens, rebus, quæ agerentur, congruere visa; animal quoddam, minutum quidem, sed minime ignotum, pediculum ei ostendit, ope microscopii eam formam eamque magnitudinem nactum, quæ credulo Viro haud mediocrem formidinem & admirationem injiceret. Ludicro autem actuine ulla deesset scena, Stiernhielmus amicum, ut promitteret, adduxit, eorum, quæ viderat, nihil se unquam narraturum. Ipsa vero prohibitio, ut sæpe solet, quominus promissis staret Virginius, impedivit. Rem uxori suæ narrat, quæ impetrare a se non potuit, ut eam

ex qua unam filiam; & iterum ab a. 1633 d. 6 Jan. cum lectiss. & castiss. Virgine Catharina Teschen, Amplissimi Dorpatensium Consulis filia, ex qua quatuor filios, unam filiam suscepit; primogenitam & unum filium superstites liquit, mœstissimæ viduæ

amicas celaret. Factum igitur cito percrebrescit, famæ de magia Stiernhielmii pondus addente mulierum fide; quique hujus artis nomine antea suspectus tantum erat, is ejus reus nunc habebatur. Rem, qualem acceperunt, hi narrant. Si vera est narratio; credulus ille, cui imposuit Stiernhielmus, hic noster Virginius fuerit oportet, quippe cum præter illum Dorpati nullus Professor nomine Virginio fuerit. Ejusmodi vero est hæc narratio, quæ convenire in hunc Virginium nequeat: Juris fuisse Professor dicitur (*wälbestånd* Juris Professor i Dorpt a Gagnero c. I. & p. in not. appellatur) qualem vero Andream Virginium non fuisse constat: Theologiam ille profitebatur suæ scientiæ peritissimus; aliarumque minime rudis ita stolidus centeri vix debet, ut in re adeo simplici illudi se facile passurus fuisset. Alium itaque fuisse, quem induxerit Stiernhielmus, credi convenit, eoque magis, quod manifestus in alterutro, nempe in nomine, aut Muneris, quod Juris Professoris fuisse dicitur, aut Hominis, qui Virginius appellatur, manifestus est error: hoc vero æque mendose ac illud vel dictum vel scriptum credere nihil vetat. Fama in majus res ferri sæpe solet; & fortasse, quo audientibus vel legentibus hoc majori delectationi narratio esset, ex rudiori quodam homine, cui illusio ista contigerit, eruditum, & ne quid deesset, Doctorem Academicum facere placuit.



viduæ in luctu & mœrore jam socios: Vir plurimis, ut in mundo, malis & morbis, feбри quartana, calculo, colica passione, arthritide, asthma & aliis paulatim attritus, & tandem prope septuagenarius haustus. Qui, dum potuit, legendo & disputando (Philosophicar. & Theologicar. Disputat. ultra 180 adsunt) zelo & devotione, industria & vigilantia, in consiliis dexteritate & prudentia, aliisque in Theologum amussitatum & Doctorem rarum cadentibus virtutibus, talem Christiano orbi se præstitit, qualem posteritas, si qua erit, requireret & desiderabit. Cujus exuviis corporis quando mœstiss. Vidua ad d. 18 Martii exequias paratas cupit, ad eandem illustri, magnifica & amplissima præsentia sua cohonestandas, omnes ordines humilime, demisse & officiose in ædes Episcopales invitantur.

Scripta :

- 1) Collegium Metaphysicum Rostoch. 1620.
- 2) Disput. de Æterna Prædestinatione Hominum in Fide Justificante ad finem usque vitæ perseverantium, Præs. Jo. Tarnovio Rost. 1626. 4:o, pro gradu in Theologia, quem vocant, Licentiam, consequendo. Recusa Suobaci 1691. 4:o.
- 3) Disp. de Universali Hominum ad salutem æternam Vocatione Resp. Jacobo Laugstadio Erfordia Thuringo 1632. 4:o.
- 4) D. de Filii DEI Incarnatione ex dicto Apostolico Gal. IV. 4. 5. R. Petro Cornero Gotho, Pastore Castrensi 1635. 4:o.

5) Disp.